



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLXXIV. Abdicatus haeres ob tyrannicidium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

ego vindicabo. Sed ne ego quidem debeo: recte violavit. Ut scias, inquit, peccasse, damnata est. Miraris, absente viro? Ego te uxor damnavi, optima foeminarum: sed vindicabo.

CCCLXXIV.

Abdicatus haeres ob tyrannicidium.

ABDICATUS DE PATERNIS BONIS NIHIL HABEAT. Quidam hortatus est in tyrannicidium filium, nolentem abdicavit. Moriens scripsit haereditatem, qui tyrannum occidisset. Abdicatus occidit: petit bona.

DECLAMATIO.

ABDICATUS, inquit, NE QUID DE BONIS PATRIS CAPIAT. Paterna haec esse bona constat: abdicatum te esse aequè patet: quæ ultra quaestio est? Haereditatem, inquit, scripsit tyrannicidam, ego autem tyrannum occidi. Nihil refert, an aliquod jus postea acquisieris: filii perdidisti. Lex enim, quæ abdicatis paterna bona negat, per omnia illos amovet. Supervacuum namque erat, abdicatum submovere, qui alioqui perdiderat paternam domum. Igitur lex ista scripta est, ne qua lege reverti in domum

I Abdicatus, de paternis bonis nihil habet. Huius legis meminit Quintilianus lib. 3. Institut. orat. capite, Quid sit status, ad finem. Quoties (inquit) aliud alii petitori opponitur, dissimiles esse status necesse est, ut in illa controversia, Testamenta legibus facta, rata sint. In testatorum parentum liberi haereditates sint. Abdicatus, ne quid de bonis patris capiat. Nothus ante legitimum natus, legitimus filius sit: post legitimum natus, tantum civis. In adoptionem dare liceat. In adoptionem dato redire in familiam liceat, si pater naturalis sine liberis decesserit. Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterum abdicaverat, sustulit nothum: instituto haerede abdicato, decessit. Omnes tres de bonis contendunt, &c. Diserte & paucis hanc controversiam illic tractat, & adeo ex harum declama-

tionum more, genere loquendi, & modo & ratione legum, thematis, & locorum seu argumentorum, ut facile has Quintiliani declamationes esse quilibet affirmare audeat. Similis quoque est illa, lib. 5. cap. 10. Cum Thebas evertisset Alexander, invenit tabulas, quibus centum talenta mutuo Thessalis dedisset Thebanos continebatur, &c. Illa item controversia (quæ quasi ex hoc declamationum volumine, si omnes haberemus, transcripta videretur) de rustico & disertio lib. 7. cap. 3. & alia de eo qui meretricem in matrimonium duxit, & ex ea natum abdicavit lib. 11. cap. 1. Si ergo hos locos cum illis, & Quintilianum ipsum, cum aliis declamatoribus comparaverimus, apparebit, & quam sit hic sui similis, & reliquos quam longe superavit & vicerit. *Ærodius.*

domum posset. Licet ergo sis tyrannicida, non prodest tibi. Nec ulla lex reducit, quem aliqua exclusit: & semper, judices, potentior lex est, quæ vetat, quam quæ permittit. NE QUID, inquit, EX BONIS CAPIAT. Hoc etiam in magistratum potestate servatur: & plus potest, inquit, unus qui vetat, quam omnes qui jubent. In permittente enim, libera potestas: in vetante, poena est. Deinde hæc lex publica est, ad omnes pertinet: testamentum privatum est. Potentius est, quod in albo lego, quam quod in testamento. Sed pater, inquit, voluit me esse hæredem, & ideo tyrannicidam scripsit, quia sciebat me facturum tyrannicidium. Falleris: te namque minime voluit: nam si voluisset, scripsisset, Filius meus, si fecerit tyrannicidium, hæres mihi sit. Nunc autem apparet dolentem, iratumque scripsisse: & adoptare in locum filii, tyrannicidam voluisse, quia in virtutem tyrannicidæ, filium excitare non poterat. Iratum timido fuisse: abdicavit. Nunquam leviter excandescunt patres: & qua causa? quod tyrannum non occideras. Vides, quemadmodum inertiam execratus sit, ne judiciis quidem malis excitatam. Tantum abdicavit? imo non reduxit. Passus est exulare: ne moriens quidem miseritus est: etiam testamento exhæredavit, etiam alios adoptavit.

S E R M O.

Ultimæ partes æquitatis.

D E C L A M A T I O.

Tamen, inquit, tyrannum occidi. Puta te meruisse: habes præmium à republica. Illud virtutis præmium debet esse, hoc inertix supplicium. Sed quando occidisti? testamentum te excitavit.

S E R M O.

In ultimo tuenda mortuorum judicia: commendabimus iudicibus testamenta. Nullam autem majorem illi fieri posse injuriam quam si hunc hæredem habuerit.

CCCLXXV.

Ne judiciis quidem malis excitatam.] Lege, ne publicis quidem malis excitatam. Idem